

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Tempus siue temporale f
cum fonte primo

Nemo uestrum parui aestimet
tempus quod in uerbis consumitur
ociosis.

Volat uerbum irreuocabile,
uolat tempus irremeabile,
nec aduertit insipiens quid amittat.
Libet fabulari, dicunt, donec hora
praetereat. O donec praetereat hora,

quam tibi ad agendam penitenciam, ad
optinendam ueniam, ad acquirendam
graciam, ad promerendam gloriam
miseratio conditoris indulgeat! Donec
transeat tempus quo
diuinam repropiciare debueras
pietatem, properare ad angelicam
societatem, suspirare ad amissam
hereditatem, aspirare ad promissam
felicitatem, excitare remissam
uoluntatem, flere commissam
iniquitatem.

Bernardus in sermone ad scolares.

Nemo uestrum, fratres, parui aestimet
tempus quod in uerbis consumitur
otiosis:

siquidem tempus acceptabile est
et dies salutis.

Volat uerbum irreuocabile,
uolat tempus irremeabile,
nec aduertit insipiens quid amittat.
«Libet confabulari» aiunt, «donec hora
praetereat.» O «donec praetereat hora!»
O «donec pertranseat tempus, donec
hora praetereat»,

quam tibi ad agendam paenitentiam, ad
obtinendam ueniam, ad acquirendam
graciam, ad gloriam promerendam
miseratio Conditoris indulget! «Donec
transeat tempus», quo
diuinam tibi repropitiare debueras
pietatem, properare ad angelicam
societatem, suspirare ad amissam
hereditatem, aspirare ad promissam
felicitatem, excitare remissam
uoluntatem, flere commissam
iniquitatem!

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones de
diuersis*, 17, 3 (SBO 6.1, J. Leclercq,
C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.152,
ll.4-13).